

lione prædicare, de quo non potest sine perfidia dubitare.

Secundus locus est in serm. 28. de verbis Domini: « O homo, faciem tuam non audebas attollere, oculos tuos in terram dirigebas, et subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo servo factus es bonus filius. Ideo præsume non de operatione tua, sed de gratia Christi. Non ergo arrogantia est, sed fides, prædicare quod accepisti, non superbia, sed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit, qui te per Filium redemit, et dic, Pater noster. »

Respondeo: Hæc omnia libenter amplectimur, asserimus, prædicamus, nec videre possumus, qua in re sententiæ nostræ repugnent. Non enim hortatur Augustinus recens baptizatos, ut certo credant, sibi remissa esse peccata ea certitudine, qua credunt Christum esse Deum; id est, certitudine fidei divinæ, sed ut confidant, se per Baptismum justificatos, et filios Dei effectos, et ideo cum fiducia oculos ad Patrem attollant et dicant: « Pater noster ». Ad hanc enim fiduciam gignendam abunde sufficit fides qua certissime credimus per Baptismum rite collatum, et susceptum omnia peccata deleri, et gratiam justificationis infundi, et præterea bona conscientia, quæ non reprehendat cor nostrum de obice divinæ gratiæ posito, id est, de affectu aliquo erga peccatum. Itaque nos ipsi, qui contendimus, nos posse quemquam sine peculiari revelatione, certo scire, certitudine fidei, sibi remissa esse peccata, tamen quando sacramenta percipimus, et cor nostrum non reprehendit nos, magna cum fiducia, et securitate dicimus, « Pater noster ».

Tertius locus est in tractatu 22 super Joannem: « Oportet omnes nos exhiberi ante tribunal Christi, et tu tibi audes promittere, quod in iudicium non venies? Absit, inquis, ut hoc ego mihi promittere audeam: sed credo promittenti. Salvator loquitur, veritas pollicetur, ipse dixit mihi, Qui audit verba mea, et credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, et in iudicium non venit. Ego audi vi verba Domini mei, credidi. Jam infidelis cum essem, factus sum fidelis, sicut ipse monuit, transii de morte ad vitam, ad iudicium non venio, non præsumptione mea, sed promissione ipsius.

(1) II Cor. I, 12. — (2) Prov. XX, 9.

Respondeo: ex promissione Christi potest unusquisque, ut S. Augustinus recte docet, colligere, se transisse de morte ad vitam, et in iudicium non esse venturum. Cæterum, quæstio est, qua certitudine id possit colligere, id enim Augustinus non explicat. Nos vero dicimus, id eum posse colligere certitudine infallibili, planeque divina, si promittentis fidelitas attendatur: sin autem consideretur dispositio propria, non majorem certitudinem illi damus, quam conjecturalem. Quoniam promissio Christi non absoluta, sed conditionalis est. Non enim dixit absolute Christus, tu in iudicium non venies, aut ille in iudicium non veniet: sed *qui audit verba mea, et credit ei, qui misit me, in iudicium non veniet*. Utrum autem ego verba ejus, sicut oportet, audierim, et crediderim, mihi ipse non dixit, sed experientiæ meæ, quæ fallax esse potest, credere me oportet.

Quartus locus est super Psal. CXLIX: « Est ergo modus gloriandi in conscientia, ut noveris fidem tuam esse sinceram, ut noveris spem tuam esse certam ut noveris charitatem tuam esse sine simulatione ».

Respondeo: Loquitur S. Augustinus de notitia humana, et conjecturali, quæ sufficit ad gloriam conscientiæ de qua dicit Apostolus II ad Corinthios I. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (1). Nam ibidem admonet Augustinus, cum hac notitia et gloria, posse consistere peccatum occultum, et ideo scriptum esse Proverbiorum XX. *Quis gloriatur mundum se esse a peccato* (2)? sed quoniam, inquit, multa sunt adhuc, quæ possunt forte offendere oculos Dei, lauda eum qui ista tibi donavit, tunc perficiet, quod donavit, id est, lauda eum, quod scias te multa peccata non fecisse et non habere, et ipse dabit etiam ut auferantur, si quæ habes occulta ».

Quintus locus est in serm. 6. de verbis Apostolis fere extremo: « Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ecce adjuvante ipsius misericordia spiritum Christi habemus, ex ipsa delectatione justitiæ, integra fide, Catholica fide, Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus ».

Respondeo: hunc locum, quem tanti fecit Catharinus, ut diceret, per eum plane obstrui ora omnium adversariorum, dico nihil omnino concludere, si ambiguitas sententiæ tollatur e medio. Illud enim, « Catholica

fide », non debet referri ad modum cognoscendi, sed ad signum, et conjecturam. Non enim significavit S. Augustinus nos Catholica fide cognoscere, Spiritum Dei esse in nobis; quasi Spiritum Dei esse in nobis, sit objectum fidei Catholicæ, sed dicit, nos ex fide Catholica, quam habere nos experimur, tamquam ex quodam signo colligere posse, Spiritum Dei esse in nobis.

Hanc autem esse mentem sancti Augustini evidenter probamus ex eo, quod idem Augustinus conjungit cum fide Catholica delectationem justitiæ, dicens: « Ex ipsa delectatione justitiæ, integra fide, Catholica fide, Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus. » Nam vel particula, ex, refertur etiam ad fidem Catholicam, vel non refertur: si refertur, tunc sensus iste erit, ex delectatione justitiæ, et ex Catholica fide, tamquam duobus signis, Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus; si non refertur, iste erit sensus, ex delectatione justitiæ, tamquam ex quodam signo cognoscimus, fide Catholica, Spiritum Dei esse in nobis. Hic autem sensus absurdissimus est, et repugnantiam involvit, quomodo enim Catholica fide cognoscimus, si ex justitiæ delectatione cognoscimus? fides enim Catholica, in divina revelatione non in nostra delectatione niti debet. Itaque idem est, ac si quis diceret, sententiam aliquam se certissima demonstratione concludere ex argumento topico. Prior igitur sensus, qui verus est, Augustino tribui debet.

Adde quod cum Tridentinum Concilium, ipso etiam Catharino teste, definiat, non posse haberi de propria justitia certitudinem fidei Catholicæ, si Augustinus diceret contrarium, ut jam videtur Catharinus velle, pugnaret concilium cum Augustino et Catharinus cum Concilio. Quæ si Catharinus concedere non audeat, non dicat etiam eo testimonio obstrui ora contra sentientium.

Sextus locus est in tract. 75, super Joannem: « Tunc erit, ut possimus videre quod credimus. Nam nunc est in nobis, et nos in illo. Sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus. Ergo (inquit Catharinus) nunc fidei certitudine certi sumus, Christum esse in nobis, et nos in illo ».

Respondeo: ita est, sed Christum esse in nobis, et nos in illo, non significat, in me, aut in te in particulari esse Christum per gratiam justificantem, sed significat Christum esse in Ecclesia, ut caput in corpore, et Ecclesiam esse in Christo, ut corpus in capite.

Septimus locus est in lib. XIII. de Trinitate cap. 1. « Fidem ipsam videt quisque esse in corde suo, si credit, vel non esse, si non credit ». Et lib. VIII. cap. 8. « Qui diligit, inquit, fratrem, magis novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit ».

Respondeo: Loquitur sanctus Augustinus de actione credendi et diligendi. Certissimi enim sumus nos credere et diligere, quando credimus et diligimus, sed utrum actus illi sint quales oportet, et utrum ex habitu proficiscantur, sine revelatione sciri non potest.

Octavus locus est in tract. 5. super epist. Joan. « Nemo interroget hominem, redeat ad cor suum, si ibi invenit charitatem, securus sit, quia transiit a morte ad vitam ».

Respondeo: Charitas sine ulla dubitatione vivificat, et ideo si quis illam inveniat in corde suo, securus merito esse potest. Cæterum quamvis possit unusquisque in corde videre actum dilectionis, tamen (ut dixi) non potest certo cognoscere, sitne ille actus veræ charitatis, an non. Proinde poterit quidem securus esse, quoniam ad hoc sufficit certitudo moralis, non tamen certus erit certitudine fidei, cui falsum nulla ratione subesse possit.

Nonus locus est in libro de pœnitentiæ medicina, cap. 2. « Dimitte nobis debita nostra, non dicimus pro iis peccatis, quæ remissa credimus in Baptismo, nisi de ipsa fide dubitemus ».

Respondeo: illud « credimus » positum est pro eo quod est, existimamus, censemus, arbitramur. Unde in lib. II. adversus Cresconium cap. 28. eandem sententiam idem Augustinus repetens, usus est verbo, confidimus: « Dimitte nobis, inquit, debita nostra, non dicimus, pro iis debitis, quæ semel in Baptismo dimissa esse confidimus ». Illud autem, « nisi de ipsa fide dubitemus », ideo positum est, quoniam si quis dubitet, an in Baptismo peccata omnia deleantur, de ipsa fide Baptismi dubitare censebitur, non quod fieri non possit, ut vel propter defectum intentionis ministri, vel propter indispositionem suscipientis non sint deleta peccata, sed quia ut plurimum nulla est rationalis causa dubitandi de intentione vel dispositione, quod attinet ad Baptismum rite ministrandum et suscipiendum; et ideo si quis dubitet, de ipsa efficacia Baptismi, hoc est, de fide Catholica dubitare videbitur.

Dices: ergo talis certitudo haberi debet de remissione peccatorum in Baptismo, ut omnem dubitationem prorsus excludat.



Respondeo, ita esse, si per dubitationem intelligas eam animi dispositionem, per quam neutri parti assentiri quis audeat, illi enim dubii proprie sunt, qui ita fluctuant, ut nihil decernere audeant. At si per dubitationem intelligas formidinem, quam interdum habemus de contraria parte etiamsi uni parti assentiamur, nego talem certitudinem haberi debere, quæ dubitationem, id est, formidinem prorsus excludat. Sanctus autem Augustinus dicit, eos dubitare de fide, qui dicunt, *Dimitte nobis debita nostra*, pro iis peccatis, quæ in Baptismo dimissa esse confidere debent, quoniam qui orant pro illis peccatis, videntur esse dubii priore modo, ac per hoc anxii et fluctuantes, quæ fluctatio non præsumitur nasci, nisi ex defectu fidei de efficacia sacramenti, ut dictum est.

Decimus locus est in tractatu super Psal. LXXXV. « Dicit unusquisque fidelium, sanctus sum, non est ita superbia elati, sed confessio non ingrati ».

Respondeo : dicat sane unusquisque fidelium, qui nihil sibi conscius est, ex bona spe, sanctus sum. Nam ex fide divina non potest hoc dicere, nisi hoc ipsum Deus ei revelaverit. Alioqui falsa esse posset fides, cum facile fieri possit, ut aliqui sanctos se esse credant, et non sint.

Sextus est S. Leo in serm. 2. de festo Paschæ : « Discutiant se fidelium mentes, et intimos sui cordis affectus vera examinatione dijudicent, ut si depositum aliquid in conscientia suis de fructibus charitatis invenerint, Deum sibi inesse non dubitent ». Et idem habet in serm. 8. de Epiphania.

Respondeo : eadem est sententia S. Leonis, quæ S. Augustini in tract. 3. in epist. Joan. De quo loco paulo ante locuti sumus.

Septimus est S. Gregorius, in 1. lib. Dialog. cap. 1. « Mens, quæ sancto Spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet, et humilitatem, quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet, quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferant ».

Respondeo : loquitur S. Gregorius, de evidentia signorum, quæ quamvis tanta sit, quanta esse potest, semper tamen est evidentia signi, id est, conjecturalis; ac per hoc certitudinem efficit conjecturalem, non fidei divinæ. Deinde, non videtur loqui sanctus Gregorius de notitia, quam unusquisque ha-

bet de se, sed potius quam habet de aliis, in quibus videt, cum summis virtutibus humilitatem esse conjunctam.

Octavus est S. Anselmus, in comment. ad cap. VIII ad Rom. « Per hoc, quod Spiritus sanctus charitatem nobis infundit, quia nos facit imitatores esse divinæ bonitatis, ut diligamus inimicos, evidenti testimonio declarat menti nostræ, nos esse filios Dei ».

Respondeo : loquitur de evidentia signorum, ut paulo ante dicebamus, signum enim omnium maximum gratiæ Dei, est dilectio, ac præsertim inimicorum.

Nonus est S. Bernardus, quem pro sententia sua omnes adducunt Lutherus, Calvinus, Philippus, Bucerus, Kemnitius; et ex Catholicis Catharinus. Is igitur in serm. 1. de Annuntiatione Dominica habet hæc verba : « Si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo, cui soli peccasti, et in quem peccatum non cadit, bene facis, sed adde adhuc ut credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem ».

Respondeo : S. Bernardus in eo sermone, proponit explicanda verba illa psalmi, *ut inhabitet gloria in terra nostra*. Et statim in ipso principio, dicit, hanc gloriam esse illam de qua loquitur Apostolus, II Cor. I. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (1). Deinde docet, hoc testimonium conscientiæ, esse testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde nostro, non testimonium, quod ipsi perhibemus de nobis. Et addit, esse testimonium triplex, de remissione peccatorum, de meritis vitæ æternæ, de electione ad gloriam.

Ut autem quis habeat hoc testimonium triplex, et possit dicere : *Gloria nostra hæc est, etc.*, tria necessariâ esse demonstrant.

Primum est, ut quis credat, non posse haberi remissionem peccatorum, neque merita, neque vitam æternam, nisi per gratiam Dei. Et de hoc primo non est quæstio, certum enim est, hoc debere credi fide Catholica.

Secundum est, ut quis credat, per Christum sibi indulgeri peccata donari merita, et paratam esse vitam sempiternam. De hoc secundo quæstio est quo pacto intelligi debeat.

Aliqui ex Catholicis dicunt, S. Bernardum

non loqui de fide Catholica, sed de fide, quæ haberi potest ex conjecturis et signis, ut sensus sit, debere hominem sibi persuadere, et confidere sibi remissa esse peccata, non tamen id certo credere certitudine fidei divinæ. Sed hæc responsio non videtur solida. Tum, quia S. Bernardus eadem voce (credendi) utitur, cum dicit, credendum esse, non posse deleri peccata, nisi per gratiam, et cum dicit, credendum esse, per Christum remitti peccata; et in priore sententia sine dubio loquitur de fide Catholica, non de persuasionem ex signis, neque credibile est, eum intra duas lineas æquivocatione uti voluisse. Tum, quia mox adjungit de hac fide, qua credimus, nobis per Christum remitti peccata, *sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem*. At certe non justificamur per illam persuasionem ex signis, sed per veram et Catholicam fidem.

Dico igitur, S. Bernardum loqui de fide Catholica, qua credimus, Deum velle nobis peccata remittere, et re ipsa ex parte sua remittere, modo conditio impleatur de qua paulo post dicemus, non autem loqui de fide, qua absolute, et sine respectu dispositionis credamus nobis peccata nobis remitti, ut hæretici somniant. Id autem probo.

Primum quoniam S. Bernardus, sicut dicit, credendum esse nobis remitti peccata, ita etiam dicit in eodem loco, credendum esse nobis donari merita, et paratam esse vitam æternam; at idem Bernardus in epist. 107. et in serm. 1. de septuagesima, et alibi, disertis verbis dicit, de vita æterna consequenda spem nos habere, non securitatem.

Deinde, idem Bernardus probare volens, nos debere credere, peccata per Christum nobis remitti, merita donari, et vitam æternam esse paratam, dicit, argumenta validissima esse Christi mortem, resurrectionem et ascensionem. At hæc argumenta vere validissima sunt ad probandum, Deum velle peccata remittere, et ex parte sua reipsa illa remittere, et merita donare, et vitam æternam parare. Non enim Christus mortuus est, resurrexit, et ascendit, ut ostenderet sine sua gratia, non posse deleri peccata, haberi merita, et vitam æternam, sed ut ostenderet, se velle ista omnia præstare, et reipsa ex parte sua jam præstare. At non probant hæc argumenta nobis in particulari, sine ulla dispositione ex parte dimitti peccata, donari merita, et vitam æternam. Nam si ita esset,

omnes homines justificarentur et salvarentur, quia pro omnibus Christus mortuus est, et resurrexit.

Tertio, idem Bernardus paulo post (ut mox dicemus) aperte docet, multas conditiones ex parte nostra requiri, ut justificemur et salvemur : non igitur docet, credendum esse absolute, nobis remitti peccata, donari merita, et vitam æternam.

Adde ultimo, quod cum Bernardus antea locutus esset de potentia Dei, cum dixit, necessarium esse credere, non posse deleri peccata, haberi merita, et vitam æternam, nisi per gratiam Dei, recto ordine adjungit, credendum esse secundo loco, Deum velle delere peccata, donare merita, et vitam æternam, ut habeamus primo testimonium potentiæ, secundo testimonium voluntatis. Atque hæc de secundo.

Tertium, quod necessarium esse demonstrat S. Bernardus, est, ut nobis applicetur in particulari remissio peccatorum, et merita donentur, et spes vitæ æternæ conferatur, ut non solum habeamus testimonium potentiæ, et voluntatis, sed etiam executionis. Et in hoc tertio non dicit Bernardus, credendum esse, sed potius experiendum, an habeamus conditiones, quæ requiruntur : « Sic ergo (inquit loquens de applicatione in particulari) inhabitat hæc gloria etiam hic in terra nostra, si misericordia, et veritas obviant sibi, et sese justitia, et pax osculentur. Prævenienti siquidem misericordiae ut veritas nostræ conversionis occurrat necesse est, ac de cætero sanctimoniam sectemur et pacem, sine qua nemo videbit Deum. Ubi enim compungitur quis, tunc eum misericordia prævenit, sed nequaquam ingreditur, donec ei veritas confessionis occurrat. Et hoc quidem, ut declines a malo. Jam vero ut facias bonum, in tympano, et choro tibi psallendum est, ut ipsa mortificatio carnis tuæ, et penitentiae fructus, ac justitiæ opera in unitate, et concordia fiant ». Et infra : « Sane quisquis ille est, in quo misericordia, et veritas obviaverunt sibi, justitia, et pax osculatae sunt, secure gloriatur, sed in eo, qui sibi testimonium perhibet, in Spiritu utique veritatis ». Hæc ille.

Vides igitur S. Bernardum non docere, absolute credendum esse sine respectu operum, nobis remitti peccata : sed eum requirere conditionem conversionis, confessionis, fructum penitentiae et similium operum, ex quibus, ut ex signis quibusdam gignitur per-

(1) II Cor. I, 12.



